

ist. west  
8

# PANEGYRICUS

IN  
CONJUGALE FOEDVS  
SINGVLARI DEI IMMORTALIS PROVIDENTIA  
INITVM

INTER  
SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM  
PRINCIPEM AC DOMINVM,

## DN. PETRUM,

D. G. REGEM PORTUGALLIÆ ET  
ALGARBIORUM, CITRA ET ULTRA MARE, IN AFRICA,  
DOMINVM GVINEÆ, CONQVSIONIS, NAVIGATIONIS, ET COMMERCII  
ÆTHIOPIÆ, ARABIÆ, PERSIÆ INDIÆQVE, &c. &c.

ET  
SERENISSIMAM AC POTENTISSIMAM  
PRINCIPEM AC DOMINAM,

## DN. MARIAM SO-

PHIAM ELISABETHAM,  
D. G. REGINAM PORTVGALLIÆ ET AL-  
GARBIORUM, CITRA ET ULTRA MARE, IN AFRICA,  
DOMINAM GUINEÆ, CONQVSIONIS, NAVIGATIONIS ET COM-  
MERCII ÆTHIOPIÆ, ARABIÆ, PERSIÆ, INDIÆQVE, NATAM PRINCIPEM ELECTORALEM  
PALATINAM, BOJOARIÆ, JVLIIACI, CLIVIÆ ET MONTIVM DVCEM, COMITEM  
VELDENTII, SPANHEMII, MARCÆ, RAVENSPVIRGI ET MOERSIÆ,  
DOMINAM RAVENSTEINII, &c. &c.

SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM  
PRINCIPIS AC DOMINI

## DN. PHILIPPI WIL- HELMI,

D. G. COMITIS PALATINI AD RHENUM, S. R. I.  
ARCHI-THESAURARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, BOIOARIÆ,  
IVLIACI, CLIVIÆ ET MONTIVM DVCEM, VELDENTII, SPANHEMII, MARCÆ, RAVENS-  
PVIRGI ET MOERSIÆ COMITIS, DYNASTAE RAVENSTEINII, &c. &c.

FILIAM ELECTORALEM,

INTER SOLLENES GRATVLATIONES ET APPLAVSVS FESTOS  
IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI  
NOMINE PVBLICO SCRIPTVS ET DICTVS

JOH. LAVRENTIO CROLLIO, D.  
h. t. PRO-RECTORE.

DIE IV JVLII ANNO clb lbc XCVII.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

DOMINO PETRO,  
D. G. REGI PORTUGALLIÆ ET  
ALGARBIORUM, CITRA ET ULTRA MARE, IN  
AFRICA, DOMINO GUINEÆ, CONQUISITIONIS,  
NAVIGATIONIS ET COMMERCII ÆTHIOPIÆ,  
ARABIÆ, PERSIÆ INDIAEQVE &c. &c.

NEC NON

SERENISSIMÆ AC POTENTISSIMÆ PRINCIPJ  
AC DOMINÆ

DOMINÆ

MARIÆ SOPHIÆ ELI-  
SABETHÆ,

D. G. REGINÆ PORTUGALLIÆ  
ET ALGARBIORUM, CITRA ET ULTRA MARE, IN  
AFRICA, DOMINÆ GUINEÆ, CONQUISITIONIS, NAVIGATIONIS  
ET COMMERCII ÆTHIOPIÆ, ARABIÆ, PERSIÆ, INDIAEQVE, NATÆ  
PRINCIPI ELECTORALI PALATINÆ RHENI, BOJOARIÆ, JULIACI  
CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI, COMITI VELDENTII, SPANHEMII,  
MARCÆ, RAVENSBERGII ET MOERSIÆ, DOMINÆ  
RAVENSTEINII &c. &c.

CONJUGIVM FELIX,  
ÆTATEM ANNOSAM,  
JMPERIVM AVGVSTVM,  
REGNVM SECVRVN,  
GLORIAM PERENNEM,


Humillime Adprecatus

Vota, quæ nuncupavit &  
Fudit publicè

*Submisso devotissimi animi cultu*

S. E. O.

JOH. LAURENTIUS CROLLIUS



Memorandum seculis omnibus felicitatis exemplum hodiernus dies *Alma Matri Academiae* attulit, quando post publica connubii auspiciatissimi solennia, quibus nudius tertius inter Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum PETRUM, Dei Gratiâ, Regem Portugalliae & Algarbiorum, citra & ultra mare, in Africa, Dominum Guineæ, Conquisitionis, Navigationis & Commerciû Aethiopiæ, Arabiæ, Persiæ Indiæque &c. Et Serenissimam ac Potentissimam Principem ac Dominam, Dominam MARIAM SOPHIAM ELISABETHAM, Dei Gratiâ, Reginam Portugalliae et Algarbiorum, citra et ultra mare, in Africa, Dominam Guineæ, Conquisitionis, Navigationis et Commerciû Aethiopiæ, Arabiæ, Persiæ, Indiæque, Natam Principem Electoralem Palatinam Rheni, Bojoriæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem, Comitem Veldentii, Spanhemii, Marcae, Ravensbergii

bergii & Mœrsiæ, Dominam Ravensteinii, &c. &c. junctâ dextræ dextrâ, conjugalis sancita est fides, ad debita devotæ gratulationis admittimur officia, & nostri quoque gaudii argumenta in publico isthoc plausuum concentu declarandi nanciscimur occasionem. Nec enim possumus tacere eo tempore, quo DEI immortalis in Serenissimam Domum Palatinam Electoralem novo: sed illustri admodum promulgatus argumento favor, novum decus, novamque majestatem ipsi addidit, ejusque *Capiti Sanctissimo*, Serenissimo Principi Electori, Domino PHILIPPO WILHELMO, Domino et Patrono nostro clementissimo, Potentissimum Portugalliæ Regem dedit Generum, ut titulo prorsus proprio, & Cæsareus, & Regius jam nuncupetur Socer, postquam nemo in spatiosissimo terrarum orbe agit, cui ulla ex communiione ejus est gloria. Sed nec debemus tacere, ubi Principem lætitiæ publicæ auctorem Te præcipuè, Potentissime Rex, recordamur, ne soli devota linguæ gratulantis negligamus officia, in quæ omnium, quæ Palatinum nobiscum venerantur Imperium, sese jam laxaverunt ora. Permite itaque, Potentissime Rex, permite, ut qui aliàs cœlestem virtutum tuarum majestatem cum universo mundo admirati sumus, nunc etiam edamus professionem animi, illarum cultu pleni, & licet ad pedes tuos provoluti, præsentem nostram in Te probare non valeamus pietatem: absentem tamen festis acclamationum adoremus officiis. Efecisti uno, sed multis bonis feraci opere, ut & indigenæ, & exteri longam votorum Tibi recitent seriem, eademque aures tuas propemodum fatigent. Reddidisti thalamo Tuo CON-  
JUGEM

JVGEM, quam REGVM & PRINCIPVM aulae Tibi gratulantur. Reddidisti Regno REGINAM, quam ejus Proceres sibi propitiam, thoro verò Tuo augusto felicem precantur. Reddidisti parentium cœtibus DOMINAM, quam actis Deo gratiis, exultantibus animis & meditati gratulationum formulis excipient, simul ac *Portugallia* Ipsam exceperit solum & solium. Hisce festis præludere audemus vocibus, edituri applausum initia, quorum complementa cum *Lusitanis* dabunt, quotquot per *Asiam, Africam & Americam* Tuo bean-  
 tur regimine. Solliciti equidem sumus & anxii, displicitura Tibi, **Rex Potentissime**, pietatis nostræ officia, quæ dum infra fortunæ excelsæ sunt majestatem, nec debiti Tibi cultûs implent modum, molesta potiùs, quam accepta esse possunt: Sed metum & sollicitudinem omnem nobis adimit, animumque addit, animus tuus cœlestis, qui colentium etiam admittit conatus, modò in illis sinceritatis sit commendatio. Animat insuper nos vehementer ingens ille Tuus in omnis solidioris doctrinæ studia amor, immensus ille favor, quem impendis ingeniis, quæ inscitia sese opponunt, operamque navant omnem, ne suavissima scientiarum lux, quâ nihil divinius homini datum, occidat, fœdaque & spurca illa oboriantur tempora, quæ horridæ barbariei tenebris olim omnia involverunt, mortaliumque animis justî rectique sensum & notitiam occultârunt. Ipse enim, quum omne id animo tuo, **Potentissime Rex**, comprehendas, quod inter arcana recondidit sapientia: Regium etiam esse credis, patrocínio tuo dignari & excitare illos, qui animum suum præclaris succingunt artibus, sine quibus, nec pacis, nec belli tempora ad aularum emolumenta & gloriam prosperè succedunt. Loquitur *Conimbria*: Loquitur *Ebora*, illæ nobilissimæ Sapientiæ omnis officinæ: illa toto orbe celeberrima optumarum artium emporia, loquuntur continua Tuæ in se benignitatis

documenta, quibus etiam superas Conditorum suorum JOHANNIS II. & HENRICI, Regum beneficia, *Conseruator & Sospitator beneficentissimus*. Recreas denique, **Potentissime Rex**, & excitas nos propius splendore, quem à tuo deductum Numine in hocce Musarum templo spargit *Excellentissimus & Illustrissimus Dominus, Dominus EMMA-NUEL TELLESIVS SILVIUS, Comes Villarmajorius, Dominus Alegreti & Præceptoriarum Albufeiria, Mauria & Souria, Sacra Lusitania Majestati à Consiliis sanctioribus status et belli, sacri cubiculi primæ admisionis cubicularius, Regni porteriorum præfectus, & ad Serenissimum Principem Electorem Palatinum Legatus Extraordinarius, Magnus Heroici, incorrupta nobilitate, sanguinis Tradux, Maximus Regionum operum Adjutor, qui belli & pacis artibus inclutus, nunquam & nusquam magnis negotiis deest, quando ubique maximis par est & sufficit obeundis muneribus. A Te itaque, Excellentissime Domine Legate, Domine gratiosissime, Regalis splendoris radii ad nos reflexi, faciunt, ut à nobis, Musarum Lusitanicarum applausu festo antevertentibus pietatem, Regiæ gratiæ non absit Majestas. Jam jam à Tago ad Rheni, Nicri & Danubii ripas diffusa, linguis, quæ aliàs in facundiam expeditæ & promptæ non sunt, dicendi aliquod flumen affundit, facitque, ut si quæ mens, gaudiorum ubertate obruta, omiserit gratulationum interpretamenta, Auditorum ea, devotus in Te, **Potentissime Rex**, suppleturus sit animus, Regnorum salus, nullisque defluens casibus felicitas, Regum est prudentia, divinis in omnes partes expedita auspiciis. Hæc singulis immane quantum prodest. Teneras & è primis surgentes incunabulis, ambit & alit: labentes fulcit & firmat, dissipatas colligit, prostratas erigit, integras continuo vigore, & spiritu vegetat, & roborat, ut ad decus, ad*

florem

florem, ad incrementa attollantur, quæ desiderata amicis, in-  
 visa inimicis, trepidanda hostibus. *Lusitania*, cujus felicitati  
*Palatina* præcipuè *Natio* applaudit, singulari *Regum* pruden-  
 tia & laboribus indefessis, in eam excrevit amplitudinem, quam  
 post tot procellas, tot tempestates, feliciter superatas, orbi ad-  
 huc ostendit universo. Vix tuendis & augendis ejus rebus  
 datus erat ab ALFONSO VI. *Legionis & Castilia Rege*,  
 Regius ille sanguis, & Gener, Mavortium illud pectus,  
 HENRICVS, in quo rarum prudentiæ & fortitudinis con-  
 nubium, ALFONSVS admirabatur, ecce! validiores cœ-  
 pit movere lacertos, vicinas complexa provincias, quæ instru-  
 menta esse poterant submovendi sedibus hostes, Regni pri-  
 mordia invidis intuentes oculis, nihilque nisi tristia mini-  
 tantes & molientes. Erant tunc infensi, *Lusitanis* Saraceni,  
 populi immanitate barbari, multitudine innumeri, dominan-  
 di libidine infatiabiles. Infederant ditiones, quas justè repe-  
 tentibus, restituere injustè recusabant. Nec recusabant tan-  
 tum: sed magis magisque aliena invadendo, injuriarum pro-  
 ferebant acerbitates, divini humanique juris contemtores.  
 Valde quidem hæc mala inter primas Imperii curas *Maximi*  
*Principis* affligebant: Sed non frangebant animum. Non  
 nescius enim erat, difficilia esse rerum arduarum initia, eo-  
 rumque progressibus invidorum intercedere sæpè insultus, fœ-  
 cundaque impedimentis consilia. Id itaque providus *Regni*  
*Fundator* dedit operam, ut consilia consiliis, vimque vi ever-  
 teret. Nec defuit optatus laboribus successus. Partem hosti-  
 um maximam delevit: partem suæ ditioni fecit subditam:  
 partem fugâ dissipavit, justè sibi vindicatis, quibus scelesti ho-  
 minum factio excefferat, sedibus. Et commovisset se latius  
 sub HENRICO *Heroë Lusitanorum* fortuna, nisi fatum  
 saluberrimarum expeditionum stitisset cursum, ejusque pro-  
 sequendi ALFONSO I. reliquisset gloriam. Hanc par *Pa-*  
 tri

*tri Filius*, dignusque tanto Principe Successor implevit, *REX* verè *AUGUSTUS*, proferendis Regni finibus divino quodam destinatus munere. Incubabant adhuc spatiosissimis Portugalliaë regionibus ingentes *Saracenorum* copiae, in id unicè intentæ, ut *ALFONSI* Regis Imperium funestis ubique claudibus aut delerent, aut intra angustos admodùm coercerent limites. Erant hæc furiaë graves excursionibus, incendiis, rapinis, cædibus, & quicquid *ALFONSI* erat, campum sibi statuerant, in quo nefaria suæ tyrannidis & impotentis libidinis explicarent exercitia. Hinc *Lusitanorum* securitas, aut nulla, aut dubia: fortunæ & possessiones incertæ: domus, villæ, arces, oppida plena timore hostis, cujus unicum votum, unicum studium, redigere omnia in vastitatem & solitudinem. Quid ad hæc mala, ad hæc agglomerata injuriarum agmina *ALFONSUS*? Non expectavit, non excepit illa mente torpida, animoque dormitante: non quievit, sed *Patrem*, sed *Tutorem* & *Vindicem* suorum se exhibuit. Effudit sese alacriter *Heros* cum suis in arma, acerrimoque cum Barbaris congressus prælio, post difficillimos conflictus, post cruentos quinque vulnerum hiatus, fortitudinis suæ testimonia, fulminis instar illos prostravit. Referunt memoriæ à *Cyro*, *Perfarum* Rege, *Cræsum* & opibus, & divitiis superbum, non solùm cum copiis nullo negotio fufum, sed & captum esse. *Sesostrim* etiam quatuor devicisse Reges, eosque ad trahendi currum, quæ bestiarum est, damnâsse & abjecisse operam, legimus. Hosce gloriâ vicit *ALFONSUS*, *Rex*, isto prælio domitor factus exercitûs, in quo erant militum quadraginta millia: Victor & triumphator non unius, non quatuor: Sed quinque Regum, quos commune in Christianos odium, & vivendi ex alieno fociaverat iniquitas. Quantum autem tunc res *ALFONSI* creverint, vix dici potest. Reddita fuit Lusitanæ tranquillitas: Sancita sanguine redempta libertas



libertas, partaque victoriarum adminicula, quæ insequentium temporum auxerunt felicitatem. Capta *Irenæa*, capta *Sintria*, *Elbora*, *Alanquellum*. Capta *Ulyssipona*, Regni hodiè caput, Regia sedes, Emporium, commerciorum celebritate Europæi orbis ferè Princeps. Atque quum *Rex* prudentissimus intelligeret, non locorum numerum: Sed incolarum multitudinem, Regnorum robur atque præsidium esse, viduatis imposuit possessores regionibus, ut horum cultu & industriâ squalorem cum pulcherrima specie commutarent, habitumque induerent jucundum oculis, suspiciendam peregrinantium animis. Quo factum, ut lapso aliquot annorum spatio, *Portugallia* viderit immensa hominum agmina, provinciarum opes, urbium decora, & quæ hisce constat, potentiam, tuendis Imperii finibus parem. Tantum profuit unius ALFONSI Regis, in incrementa Regni sese dispensans, prudentia, ancillansque huic fortitudo, quæ stupendæ *Metellorum*, *Fabiorum*, *Camillorum* virtuti sese, vel æquans, vel præstans, illustre seculis omnibus exemplum, & æternæ laudis est materia! Non desuit autem prudentia, quum ALFONSUS in vivis esse desiisset: Sed cum sanguine in SANCTIUM I. paternæ magnitudinis hæredem, transfusa, stabilendis & firmandis *Portugallia* Rebus, invigilavit. Plorandus sæpe & funestus est imperiis *Regum* occasus: Ast ubi hunc sequitur in *Filio optumo* auspiciatissimus ortus successoris, novi instar solis omnia ambientis & recreantis, grandi solatio, consternati Regio funere animi, eriguntur, & cum publico dolore & luctu communis jacturæ sensus minuitur. Amiserat olim multum *Roma*, *Flavio Vespasiano* amisso. Amiserat *Principem*, qui solus omnium ante se *Principum* in melius mutatus fuerat. Amiserat *Patrem*, qui communi sibi subditorum salute, suam definierat. Amiserat *Imperatorem*, cujus cura & labor unicus erat, per dies molestos

molestos, insomnesque noctes consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti. Ast plurimum etiam *Romæ* fuit redditum, ubi *Titus, Flavij Vespasiani Filius*, imperio admotus, tanta meritorum & beneficiorum copia Orbem Romanum implevit, ut communi suffragatione dictus fuerit, *Amor ac delicia generis humani*. Eadem felicitas *Lusitanorum* fuit, quum **SANCTIUS I.** devolutam in se Patris obitu, Regni curam, suscepit. Paternæ enim insistens vestigia prudentiæ, non privata: Sed publica in consilio habuit commoda, eaque ad illud fastigium adduxit, quod animo suo **ALFONSUS** Pater descripserat. Recurrebant sæpe ex intervallo perfidæ Barbarorum copiæ, ut collectis viribus majorem in *Lusitaniam* effunderent rabiem, quam priorum *Heroum* virtus cohibuerat. Has repressit, fudit, devicit. Adjecit captas insuper urbibus urbes, & ne civibus orbæ essent, *Patris Sapientissimi* exemplo providit, datis privilegiorum & immunitatum beneficiis, quibus primi coloni in rebus, è tenui initio in majus attollendis, juvari solent & debent. Tot tantisque laboribus & curis, Regnum à Patre acceptum, ubi beatius reddidit, non solum ejus *Custos*: sed *Auctor*, sed *Amplificator* fuit, in tantum deprædicandus, in quantum hæc nomina & tituli intelligi possunt. Atque horum nominum gloriam cæteri quoque *Portugallie Reges*, **ALFONSUS II. SANCTIUS II. ALFONSUS III. DIONYSIUS, ALFONSUS IV. PETRUS I. FERDINANDUS, JOHANNES I. EDUARDUS**, tuiti sunt, continuis prudentiæ & fortitudinis laboribus, continuas oppidorum, urbium, castrorum, *Mauris* ereptorum, operati accessiones. Non possum hic non attingere, *Auditores*, incrementa, quæ *Portugallie* **ALFONSUS V. JOHANNES II. & EMMANUEL**, ingentes illæ animæ, intulerunt, ut intelligatis crevisse semper in eam.

*Regum*

Regum merita, ipsosque sanctissimâ quâdam æmulatione in majoris gloriæ sese adurisse contentionem & studia. Occupaverat JOHANNES I. suis *Bona Memoria Rex* appellatus, magnis opibus, magnaque virtute *SEPTAM, Mauritaniam* urbem, ingenio loci & operibus munitissimam. Collocaverat insuper in Madera, Maris Atlantici Insula, colonias, ut haberet, quo se reciperet, si quæ forsan, & consiliorum & belli eventibus adversa acciderent. ALFONSUS itaque, eâ, quâ erat animi perspicacis sagacitate, firmando Imperio & progressibus alibi faciendis, profuturam belli in *Africa* continuitatem deprehendens, bellum classe instructâ in Barbaros renovavit. Omnia autem secundum votis adspirârunt exitum. Obsedit, expugnavit, occupavit urbes nobilissimas. Cepit *Zeliam, Tangerium, Alcazerium, Arfillam* aliaq; castella & propugnacula plurima. Hinc subito, & propinquos, & longissimè disjunctos populos, metu, & terrore involvit, tantisque expeditionibus felix, paria quum fecisset cum belli illo fulmine, SCIPIONE, par æternumque nominis retulit decus, ALFONSUS AFRICANUS cognominatus. Magna hæc ALFONSI fuit felicitas: sed illustrior eam sequuta in Filio JOHANNE II. qui supra Paternam sese extulit magnitudinem. Probrum & dedecus est Filiis, velle se anteferre Parentibus, quando obsequi gloriâ inferiores esse debebant. Ast superare eosdem virtutum splendore, laborum multitudine, operum magnitudine, decus ipsorum est, ex quo in vivos gaudium, in mortuos Parentes gloria redundat immortalis. Talis fuit JOHANNES II. Regum Maximus, et Filius Patris, omnium mortalium Optimi, dictus. Dignum profectò, & *Patre, & Filio* elogium, in quo individuâ virtutum copulantur laude, quos arctissima sanguinis *Heroici* copulaverat communio.

munio. Et hoc elogium dum recitavi, AUD. omnia uno representavi compendio, quæ de JOHANNÉ Rege à me magna dici, & à Vobis intelligi possunt. Magnus fuit in DEUM pietate: Magnus prudentiæ opibus: Magnus fortitudinis operibus: Magnus amore in eos, quos Virtus magnos fecerat: Magnus animo, qui *Portugalliam* nec limitem, nec metam habebat: Sed per orbis sese ferens spatia, semper cogitabat PLUS ULTRA, PLUS ULTRA. Magnus denique magnis consiliorum successibus in Regno *Congo*, *Guinea*, in *Abesinia*, ad Promontorium *bonæ spei*, in *India*: Ita magnus in omnibus esse debebat, quem extendendæ potentæ, & ostendendæ, ad quam *Portugallia* provehi posset, magnitudini, DEUS destinaverat. Est ea provida factorum dispositio, ut condendi magna Imperia inter plures partiantur operam & gloriam. Hunc difficultas suppositi Regno fundamenti commendat. Alium promoti operis industria & dexteritas. Alii ejusdem perfecti propria est prædicatio. Ad surgunt ad proceritatem Pyramidum miracula: Sed urgente plurimum manuum industriâ: Dederat JULIUS CÆSAR Romano Imperio initia: OCTAVIANUS AUGUSTUS ex his idem ad majus eduxit decus & robur, Romamque, quam latericiam acceperat, marmoream reliquit. Reservatum etiam aliquid NERVÆ CÆSARIS & TRAJANI prudentiæ, sub quibus, tanquam beneficis sideribus, beatissimus fuit ortus seculi. In *Portugallia* Regno attollendo JOHANNES II. illud ætatis momentum adferre debuit, quo illustrius ipsi nondum illuxerat. Inchoavit enim ætatem auream, spe & fiducia ubertatis maximæ, omnium serenantem & jam expletem animos. Sed inchoavit tantum, non consummavit, supremâ necessitate præpeditus. Relicta hæc fuit gloria EMMANUELI, Regi invictissimo, in cujus obsequium ivère cœlum,

lum, terra, maria, ut elaboraret absolveretque felicitatem, genti suæ singulari DEI munere decretam. Quæsit litora nondum detecta: Invenit. Invenit litora *Mozambiquæ*, *Mombaza*, *Melinda*, *Quiloa*. Conseruit manus cum *Calecuti*, *Zeila* & *Madagascara* Regibus, vicit. Infestam, *Lusitanis*, *Indiæ* colonis, *Campsonis Sultani Aegyptiaci* classem fugavit, disjecit, dissipavit. Urbes *Arabia* & *Persia* plurimas, litoribus vicinas, fecit vectigales *Ormusum*, *Goam*, *Malaccam*, Regna Orientis, incredibili divitiarum, vi superba, aggressus est & subegit. Oppugnavit Insulas, urbesque alias, quarum nomina hominis memoria vix capit, & expugnavit. *Brasiliam* fertilitate, amœnitate, salubritate admirandam, occupavit. Quocunque tulit arma exercitus & Classis EMMANUELIS, retulit victorias, victoriis fœcundas, immortalium illorum nominum, bellique fulminum *Albuquerqueij*, *Almeida*, *Gamma*, *Alvari*, adjutus virtute & industriâ. Tantis autem victoriis *Portugallia* extra *Portugalliam* rerum *Domina* facta fuit, ejusque Reges supra sceptra, coronas & diademata in *Africa*, *Asia*, *America* erecti, *Regum* evasere Reges. Et jam seculum aureum in *Portugallia* obortum, aureos effudit divite copiâ fructus. Ex *Arabia*, *Aethiopia* & *India* utraque plenis comportati in *Portugalliam* navibus, auri, argenti, gemmarum, aromatum acervi, qui commerciis distracti, *Hispania*, *Gallia*, *Britannia*, *Dania*, *Suecia*, *Germania*, aliarumque nationum recreârunt indigentiam: *Lusitanis* autem immensos peperere thesauros. O beata PORTUGALLIA, quam EMMANVELIS, Regis beatissimi, plusquam Regia beavit prudentia. O felices populi, in quos prospera lætaque omnia invexit EMMANVEL, Rex Potentissimus, Rex incomparabilis, Rex mortales supergressus titulos. sed facere de hoc dicendi finem debeo, quem in meritorum & laudum segete infinita invenire

non valeo. Solet plerumque individuus Regiæ fortunæ comes esse invidia, cui omne magnum suspectum videtur & intolerabile: Hinc quicquid insidiis non potest: Apertâ vi & armis tentat, tantum ut adversa secundis misceat, coeptumque felicitatis inhibeat cursum. Sed suo malo, dum innocentiae tutelam & vindictam extorquet: Sibi verò perniciem accelerat & exitium. Vix Patrio resederat folio JOHANNES III. Ecce! cooriebatur densa in ipsum adversariorum nubes, oppressura quicquid *Lusitania* in oriente potentiam augebat & venerabatur. Urebant *Solymannum*, *Tyrannum* captæ Orientis urbes opulentæ: Obsessus classe sinus Arabicus: Iter ad *Indorum* & *Aethiopum* opes interceptum. *Cambaja* Regem torquebat, secundam ruere porrò in vota JOHANNIS fortunam: Crescere ejus in *India* res. Suas & aliorum decrescere: Amari JOHANNIS virtutem & æquum in omnes Imperium: Suum, ad melius comparatum, turpitudine & iniquitate fœdum cognosci, contemni, rejici. *Mauri* cum *Calecutanis* dolebant, esse, qui in Mari rabiem piraticam: In terra prædandi & latrocinandi libidinem furoremque coërceat. In id itaque divisa moribus & ingenio, hominum colluvies consensit, ut JOHANNIS Imperium, omni ex parte ferro & igne petitum, penitus labefactaretur. Sed irrita sunt consilia, vis, impetus in Imperium, quod servandis aliis DEUS ipsemet conservare constituit. Quoties renovârunt bella *Barbari*: Toties ipsis fuga, jactura opum, strages militum: *Lusitanis* victoriæ, triumpho, accessiones urbium cessere. Sociatis cum *Turcica* manu copiis Rex *Cambaja* invaserat *Lusitanos*: Sed bis prælio victus, laborum præmium Victori populo reliquit, *Dium*, urbem, & portûs commoditate, & commerciorum celebritate nobilem. *Turcarum* copiæ, fuga dilapsæ, robore suo superiores intellexerunt *Lusitanos*, quibus propitia in-

omnes

omnes casus sese addixerat fortuna. Occultare hæc visa fuit faciem, quando SEBASTIANUS, Rex inter ipsa Imperii initia, præmaturo funestoque suis occasu, rebus humanis exemptus fuit. Erat SEBASTIANUS, Rex ingentis animi: Erat consilii plenus, manu fortis, cupidus extendendi virtute Imperium, maturè per Majorum vestigia ad gloriam iturus. Diviserant tunc de Regno *Mauritania*, certamina, *Mubammedem* & *Melicum* è Scherifiorum familia, Reges, atque Regno pulsus *Mubammedes*, quum suis non posset, alienis illud recuperare nitebatur viribus. Conflabat itaque in *Melicum* bellum, in cujus societatem præter alios, trahebat etiam SEBASTIANUM, Regem, qui non dimittendam dilatandi in *Africa* Imperium, occasionem sibi dari ratus, comparato magnis impendiis exercitu, ipse in *Africam* contendit, ostensurus exemplum Regis, publici commodi causâ spernentis, & itineris molestias, & ingentes belli labores & difficultates. Sed, quæ rerum humanarum calamitas est, optimarum destinationum feralis fuit exitus. Ventum in *Africam*, ventum ad prælia cum Barbaris: Pugnatum dubiâ fortuna, pugnatum acriter, pugnatum diu de vita, de victoria, quæ dum *Maurorum* fuit, illa eheu! periit SEBASTIANO, Regi, ab exercitu deserto, post cæsa, infatigabili manu, innumera barbarorum monstra, post edita fortitudinis, hostili probata iudicio, facinora. Ita unicum momentum infelix *Portugallia* obscuravit felicitatem, Rege multæ expectationis, in ipso ætatis & Imperii flore occumbente, & cum ipso lætiorum spe temporum. Opplata subitò omnia questu, lachrymis, metuque vicissitudinum, quæ ex orbitate, Regnis exitiali, ominabantur sapientiores. Solus HENRICUS successor, EMMANUELIS, Regis Potentissimi Filius, percussos flebili SEBASTIANI occasu sustentabat

bat & solabatur animos: Quanquam vicina ejus morti ætas, cœlibis thori in Regnis fata, pravæque non nullorum spes, sollicitos impendentium casuum distrahebant varietate. Nec vanus fuit hicce metus. Sequuta difficiliorum temporum, asperitas, ex qua sumta fuit abalienatæ penitus fortunæ interpretatio: Sed non fuit averfa fortuna, non fuit: Servavit favorem, quando illum non ostendit. Distinguit sæpe læta temporis momenta tristibus, ut illorum major sit æstimatio, negligi solita ab illis, quibus quotidiana & familiaris admodum boni est possessio. Erupit autem, & pleno iterum illuxit jubare cœli in *Portugalliam* favor, reddito solio, sceptro, coronâ, *Serenissimæ Ducum Bragantinorum Familia*. Fuit profectò, fuit illa dies altera *Portugallia* natalis, qua *JOHANNES IV.* vera Regii stemmatis propago, eam animare cœpit. Hic *Portugallia* vitam, spiritum, vigorem restituit. Hic serenavit nubila, sanavit vulnera, firmavit debita *sibi Regni* gubernacula. Non vis, non dolus, adversus ea nitens, quicquam valuit, dum *JOHANNIS* Regis Potentissimi prudentia & fortitudo illis evertendis sese impendit. Et vasta illa belli moles, Regimini novo opprimendo destinata, frustra fuit. Opposuit se illi *JOHANNES* cœlesti apparatu, eamque solvit, fregit, disjecit. Atque ex hoc tempore *Majorum* suorum beneficia beneficiis adauxit, & partam laboribus, opibus, sanguine Regni amplitudinem, aut vindicavit, aut conservavit. Tantus fuit *JOHANNES IV.* quem *DEUS* inter tot fluctus, inter tot metuenda *Bragantina Familia* pericula, *Portugallia* salutem reservavit! Tantus fuit, quem *LUSITANUM DEUS* recreandis *Lusitanis* non sine incredibili, tot populorum, tot nationum consensu, gaudio, plausu ex latetris quasi produxit, Regiæque fortunæ imposuit fastigio! Stabilem autem & fixum esse *Lusitania* *DEUS* voluit gaudiorum



diorum, ex altero ejus Genitore & Conditore, proventum, quando ex *Serenissima Regina SIDONIA JOHANNEM ALFONSUM & PETRUM, Filios Serenissimos*, securitatis publicæ pignora, Imperiique fulcra excitavit. Etenim quum *JOHANNES IV. Rex* cum vita Regni curas finiisset, *ALFONSO VI.* teneræ adhuc ætatis *Principi*, quem nascendi ordo primum fecerat, *Regium*, axioma: *Serenissima verò Regina Matri* Regni administratio obtigit. Hæc ad prudentiam, quæ in *Regina* summa erat, composita, magnarum rerum successu felicissima fuit. Ea exacta, sub *ALFONSO, Rege* magnorum adjutorum consilio & opera, præclara evenere. Sed *Hunc* postea *Regni salus*, quæ suprema lex est, quieto magis obtulit vivendi generi, & *Serenissimo PETRO*, at quanto *Heroi!* prudentiæ suæ opes expromendi amplissimum aperuit campum. Hic, hic debebat esse *Atlas*, quem sustinendæ *Portugallia* moli validissimis fata corroboraverant viribus. Hic debebat esse *Stator*, qui reductum in *Bragantinam Domum* sceptri splendorem statueret, qui sisteret metum mobilis fortunæ, qui certissimo efficeret eventu, ut suo beneficio felicitas *Portugallia* æternum staret, nescia vicissitudinum, invidiâ major, vique superior omni. Orsus *Regni* moderari habenas, fecit id eâ prudentiâ, ut *SANCTIOS* vicerit & *ALFONSOS*: Eâ constantiâ, quam nec molle otium, nec conviviorum deliciæ interrumpere potuerunt. Eâ vigiliantiâ & sollicitudine, quæ ubique in Regno fuit, ne uspiam ullis deesset partibus: Jam ex *Europa* in *Africam*, jam in *Asiam*, jam in *Americam* excurrerat, intenta ministrorum studiis, ne vel horum injuriâ & avaritiâ: Vel negligentia & incuria, *Regnum* quid detrimenti caperet: Eâ denique animi moderatione, ut, quum opera & in *Regnum* merita *Ipsam* facerent *REGEM*, dici tamen noluerit,

contemptor *nominis*, modò *Regii muneris* impleret mensuram, & benè gesti referret gloriam. Nec desit Vigil hicce *Serenissimi PETRI* in *Regnum* amor, ubi post *Serenissimi Fratris* obitum *Regni* insignia accepit. Crevit, si crescere potuit, & majori sese salubriorum operum numero proferre adlaboravit. Admiranda est illa quies, illa diuturnitate læta tranquillitas, quæ *Regis Augustissimi PETRI* providentiâ *Portugallia* hodie propria est, quum alibi motus, turbæ, bella omnia concutiunt & cladibus involvunt. Admiranda sunt illa amicitiaæ fœdera, quibus, dum sibi *Potentissimorum Regum* animos devinctos tenet, amicus est omnibus, inimici Ipsi nulli, eo cum primis tempore, quo divisæ sunt discordiis aulae, *Regumque* in *Reges* pronæ & faciles iræ. Illud equidem acerbum accidit Regno, quòd funus lugere debuerit *MARIÆ FRANCISCÆ NE-MOROSIÆ*, *Reginae* inter *Heroinas* hujus seculi summæ. Sed uti tui non fuit arbitrii, *Potentissime Rex*, vitæ conservare tantam *Reginam*: ita tui tamen beneficii est, quòd, cum intelligeres *Regni* potissimum esse viduitatem, quæ *Regio* incumbit thalamo, *Reginam* ipsi reddideris, *Serenissimam MARIAM SOPHIAM ELISABETHAM*, *Principem Electoralem Palatinam*, quæ absens etiam luctum omnem sustulit, lachrymasque publicas absterisit. Grande profectò prudentiæ dedisti documentum, *Potentissime Rex*, quando legisti Tibi *Reginam* è *Serenissima Domo Palatina*, in qua omnis *Majestatis*, omniumque dignitatum est consummatio & fastigium. Hæc dedit *Germaniæ Imperatorem*, *RUPERTUM*, alterum *JUSTINIANUM*, *Daniæ CHRISTOPHORUM*, *Succiæ CAROLUM*,  
*Reges:*

*Reges.* Hæc dedit *Ubijis & Magdeburgo Archiepiscopos:* Ultrajecto, Ratisponæ, Argentinæ, Monasterio, Frisingæ, Spiræ, WORMATIÆ *Episcopos.* Hæc denique hodiè habet seculi nostri Nestorem, Serenissimum Principem ac Dominum, Dn. PHILIPPVM WILHELMVM, Principem Electorem, Dominum ac Patronum nostrum longè Clementissimum, qui OCTAVIANO AVGVSTO felicior, felicissimus ex Serenissima ELISABETHA AMALIA, Principe ac Domina nostra Clementissimâ, numerosissimæ sobolis Pater factus, recreat Urbem Dominam, Viennam Cæsarea conjuge, ELEONORA Augusta: Germaniam *Heroibus*, qui infulis, Tiaris, virtutumque prodigiis per universum terrarum orbem jam inclaruerunt. Tantis nominibus, tantis ornamentis sese effert Serenissima Familia, è qua, Potentissime Rex, in amplexus Tuos venit Serenissima MARIA SOPHIA ELISABETHA, Princeps, in qua admirabilis omnium virtutum est concentus & cumulus. Habet hæc pectus DEO devotum, officinam innocentissimarum cogitationum, quæ amore Regis sui plenæ, jam cœli in TE, Potentissime Rex, in Regnum Tuum deposcunt favorem & præsidium, ut Rege suo sospite, Regnoque florente, ipsa beata, ipsa sospes ipsa læta in sinu tuo recumbat. Habet mentem cœlo cognatam, præclaris sapientiæ dotibus divinitus cumulatam, quas ubi expromit ore disertis, vel in Latii, vel in Gallici, vel in Italici sermonis venustates sese effundere novit, & de iis quidem rebus, quas divina tantum nôrunt ingenia: Plebeja ignorant & nesciunt. Excitabant & sacrabant olim Quirites virtutibus templa & sacraria, sed virtutibus vacua. Se-

renissima Regina, **MARIA SOPHIA ELISABETHA** templum est, in quo residet demissa ad humanitatem intra fastigium Majestas & gravitas: Supergressa humanam conditionem intaminatæ mentis castitas. Incredibilis placidi ingenii facilitas, magna in omni fortuna æquitas, stupenda excelsi animi magnitudo, divina beneficiorum in egenos & adflictos promptitudo. Et ipsa pulcherrimæ adeò mentis sedes, corpus, omnes amœnitates, omnes gratias, omnes veneres habet, quibus vel ferreæ & saxeæ mentes, non trahi: Sed rapi in amorem possent. In facie mixtus sanguini candor, genæ teretes & succiplenæ: Divinus suavissimi oris decor: Reliquis membris ea Majestas & dignitas, quæ formosissimarum *Heroidum* propria est. Talis & tanta est **MARIA SOPHIA ELISABETHA**, Princeps Electoralis Palatina, Potentissime Rex, stabili Tibi jam juncta connubio. Sed non sola Tibi juncta est: Sunt in connubio hocce connubia. Jungitur eodem Tibi Invictissimus **LEOPOLDVS**, Germanorum Imperator Augustissimus, *Turcia*, quâ patet, Terror, *Austria* vindex, *Hungaria* Assertor, qui conjectâ in hostis sinum belli face, victoriis ibi inclutus est, quò Majorum suorum exercitus non penetrârunt. Jungitur Tibi, **CAROLUS II.** Potentissimus *Hispaniarum* Rex, cujus Imperium ingentium divitiarum est promptuarium, quod exhauriri nequit, dum ipsa alma rerum Parens natura, in eo locupletando diurnos & nocturnos insumit labores. Jungitur Tibi, Potentissimus *Suecorum* Rex, **CAROLUS XI.** Rex rerum gestarum magnitudine *Magnus*, consilio, opibus, armis potens, Palatini Sanguinis in Septentrione *Leo*, qui sceptro suo addidit decus, quod Majorum defuit coronis. Jungitur Tibi *Serenissimus* ac Potentissimus Princeps Elector, **MAXIMILIANUS MARIA EM-MANU.**

MANUEL, Bavarorum *Hercules*, ad edomanda Turcarum monstra natus, quem Herculei, Viennæ conservandæ, Budæque recuperandæ, impensi labores inter mortales jam fecerunt immortalem. Jungitur Tibi *Reverendissimus ac Serenissimus Princeps Elector* MAXIMILIANUS HENRICUS, *Archiepiscopus Coloniensis*, Princeps Gentis bellicosissimæ, Princeps, in quo spirans Sapientiæ ac Prudentiæ est exemplum, ad quod præsentis se exigunt, & futuræ component aulæ. Jungitur denique Tibi, **Rex Potentissime**, numerosus PALATINORUM PRINCIPUM exercitus, & quotquot huic amico vincti sunt fœdere, qui nihil grave, nihil adversum sceptro tuo statuent, ne in communem injurii amicum, rumpant amicitias, & communes omnium hostes, communia in se concitent arma. O saluberrimos *Lusitanis* **MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ**, Reginae Serenissimæ Amores! O felicissima Tibi, Potentissime Rex, **MARIA SOPHIA ELISABETHA**, Princeps Electoralis Palatina, quæ Tua, sed Tuum nondum ingressa Regnum, tot Tibi jungit Amicos, quorum copiâ Regnorum constat custodia, sceptrorumque securitas. Hæc est altera **ELEONORA**, quæ **EMMANUELI**, Regi omnium felicissimo **CAROLUM V.** at quantum Imperatorem! saluberrimâ adjunxit affinitatis copula. Hæc est altera **CATHARINA**, quæ **PHILIPPUM I.** Potentissimum Hispaniarum *Regem*, **JOHANNI III.** arctioris amicitiae nexu alligavit. Ingressa Regnum Serenissima Regina **MARIA SOPHIA ELISABETHA**, bonorum *maria*, in **TE**, Potentissime Rex, effunder. Omni blandissimi amoris officio Regem suum demulcebit, brevi- que *pulchra faciet TE prole Parentem.* Ne metue, **Rex**

**Potentissime**, ne metue sterilitatem, quæ malum in Regio  
 toro, malis fœcundum est. Sanguinem habet *Regina* ex  
 Serenissima Matre **ELISABETHA AMALIA**,  
 communem cum **Augustissima ELEONORA**, quæ  
 felicissimæ Matres, lætissima fœcunditatis uberrimæ ediderunt  
 specimina, dilecta **Invictissimo LEOPOLDO**, exo-  
 ptata *Germania*, admiranda *Mundo*. Cum hoc Tuum si miscu-  
 eris, **Potentissime Rex**, non proferet: sed fundet feli-  
 cissimi uteri pignora: Fundet natos, in quibus reviviscent  
**HENRICI** bellicosi, **ALFONSI** sapientes, **SANCTII**  
 munifici, **PETRI** Magnanimi & justi, **JOHANNES**  
 Magni, **EMMANUELES** felices, fulcra & firmamen-  
 ta imperii, ornamenta Regiæ Domûs, munimenta & præ-  
 sidia Regni. Fundet natas, in quibus reviviscent **ELEO-**  
**NORÆ**, **ISABELLÆ**, **MARIÆ**, **BEATRICES**,  
**CATHARINÆ**, Cæsarum, Regum, Ducum, Princi-  
 pum conjuges Serenissimæ, affinitatum materia, pacis con-  
 ciliatrices, Regnorum incrementa. Sed & Tibi in hac rega-  
 li vitæ consuetudine felicitatis quædam est communio. **RE-**  
**GIS** jam es, Serenissima Regina, marita Maximi,  
 quem & Oriens, & Occidens sol adorat & veneratur. Ibis,  
 Serenissima Regina, ad **REGEM**, cujus Majestas  
 divinæ proxima, sociam Te ambit, fortunæque Regiæ, quâ  
 nulla in terris est splendidior, nulla illustrior, facit participem.  
 Ibis ad **REGEM**, qui cœli æmulus, munificentia divinus,  
 clementia cœlestis, magnanimitate incomparabilis, humanitate  
 admirabilis. Ad **REGEM** ibis, qui adfectum omnem, amo-  
 rem, fidem tibi addixit, Tuique desiderio plenus, suavissimam  
 Tuam præsentiam in horas expectat vehementer, optat avidè.  
 Ibis, **REGINA** Serenissima, in *Portugalliam*, hortum  
 illum amœnitatis, Paradisum terrestrem, in quo arbores, agri,  
 flumi-

flumina, saltus, nihil nisi gratissimas palato, naribus, oculis parturiunt delicias, tanto proventu, tanto affluxu, ut explendæ etiam exterorum sufficiant inopiæ. In *Portugalliam* ibis, in qua montes, ex India congestos miraberis argenteos & aureos. Ibis ad *Lusitanos*, qui, uti à *TE Regiæ Familie* sperant perennitatem: Ita vitæ & saluti tuæ tuendæ & conservandæ, opes, fortunas, sanguinem impendere, jam dudum Sacramento sese obstrinxerunt. Hæc, hæc sunt summa illa felicitatis momenta, quæ in Tanto Rege & Regina confociata, perfectissimam absolvunt felicitatem, non desituram, quoad **Potentissimus Rex PETRVS, felicissimæ MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ, & Serenissima Regina, felicissimo Regi suo vixerit.** Vivat itaque, **Potentissimus Portugalliæ Rex, PETRVS!** Vivat! & vivendo seculum impleat, ut seculum de ejus felicitate dicendi materiam suggerat seculis futuris. Sit ejus folium firmum, sceptrum tranquillum, corona sempiterna! Faveat Ipsi coelum! Fluat in vota ejus mare! ferviat terra! pareant cives! Sit defensor & vindex amicorum, victor & triumphator hostium! Vivat etiam, **Serenissima Regina, & sospitem videat Regem!** Sospes amplectatur & recreet *Augustum læta Maritum!* Impleat gaudiis aulam, superet gratiâ spem civium! Sanciat fœcunditate Regni æternitatem! Vivat Regium par! ostendatque mundo conjugum Regiorum exemplum, cujus simile præterita ignoraverint, præsentia exoptent, futura admirentur tempora! Vivat **Potentissimus Rex, PETRVS!** vivat **Serenissima Regina, MARIA SOPHIA ELISABETHA!** ut **Serenissimus Princeps Elector, PHILIPPVS WILHELMVS** Pater, ut **Serenissima Electoralis conjux ELISABETHA AMALIA**

**LIA, Mater**, constans gaudiorum habeant argumentum, & quæ Ipsis primum Austria dedit blandissima Avi, Aviaque nomina, Portugallia multiplicet: Ut denique **Potentissimæ Reginae Serenissimi Fratres & Sorores**, perpetuo Lusitanici Regni flore amplissimam, surgentis indies felicitatis spem sustentent & robovent. Hæc gratulationum officia, hæc vota, **Potentissime Rex**, devotissimo animi cultu solvit & fundit *Academia*. Nec illorum immemor est, quæ Tibi, **Serenissima Regina**, pro explicando feliciter per terras, per flumina, per Maria debet itinere, plura tamen corde, quam ore factura, ne properantem ad auri flui Taggi littora, morentur submissa Rheni voventis murmura. Eas itaque **Serenissima Regina**, eas ubique feliciter! Mare cum primis naviganti faveat! Taceant procellæ! Taceant ventorum prælia! Quiescant adversi navibus fluctus! Sint faciles in tua Carbasæ venti, ut superato Maris fastidio nobile Portugalliæ contingas solum, omniaque molesti itineris tædia soletur & finiat desideratissimi Regis Tui adspectus. Hoc **DEUS** faxit: Faxit **DEUS** omnia prospera, omnia fausta Tibi, **Serenissima Regina**, eveniant! Faxit ut audiamus salutare fuisse Tibi, **Serenissima Regina**, Tagi aquas, parari fascias, moveri cunas: Sed faxit

**Parvulus ut PETRVS, PETRI** Tibi rideat aulâ, qui vagitu suo Rheni repleat littora, & Serenissimam Palatinam Domum Electoralem in gaudia: Hancce verò cathedram, has exedras, hosce parietes, in plausus, in júbila & gratulationum certamina resolvat!

